



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1648.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

NEcdum omnino finis bellorum, tumul-
tuim & malorum in Germania, mi-
nus in tota Europa.

Bavaria & Suevia à Gallo-Suecis sub Tu-
renio & Wrangelio rapinis, incendiis &
direptionibus fædum in modum devasta-
tur.

Pragæ Urbs parva cum Ratschino arce
Regia inopinatâ impressione à Königsma-
ckio invaditur, expugnatur, & diripitur; ab
obsidione verò urbis veteris & novæ cum
strage quatuor millium recedere compelli-
tur virtute potissimum Coloredi urbium
Præfecti & Academicorum, quorum in re-
primendis hostilibus insultibus fortitudo
incredibilis toto obsidionis tempore emi-
nuit.

Ernestus Landgravius Hassiæ à Lamboio
Ductore Cæsareo ad urbem Geisecam cæ-
ditur.

Regnum Neapolitanum novis tumulti-
bus succutitur, & à populo Neapolitano pro
novæ Reipublicæ Gubernatore acceptatur
Dux Guisius nuper è Gallia ad fovendas has-
turbas emissus.

Parisiis ~~insurgit~~ Parliamentum contra Re-
gum

gem & Mazzarinum, & hujus authoritatem
depressam cupit.

In Hispania conjurati contra Regem Ca-
tholicum comprehensi, quos inter Carolus
Padilia, & Petrus de Sylva decollati, Rode-
ricus de Sylva perpetuo carceri addictus, &
Joannes Padiliæ frater voluntariâ inediâ in-
teriit; Rex die latæ sententiæ jussit exponi
in omnibus templis sanctissimam Euchari-
stiam, & tria millia Missarum celebrari in
suffragium eorum, quos suppicio affecerat.

In Sabaûdia quoque conjurati, ut sorti-
legiis aut veneno tollerent Christianam ma-
trem cum filio Duce, per quendam Theolo-
gum detecti & puniti.

Constantinopoli post occisum primum
Vezirium præfocatus & ipse est Ibrahimus
à Janizaris.

In Anglia Rex accusatus à Fairfaxio &
Cromvelio apud Parliamentum per libellū
supplicem de gravibus criminibus, quorum
hæc summa, Regem accendisse civile bel-
lum, voluisse opprimere Parliamentum, ex-
terna quæsiſſe auxilia, Germanos equites,
Hibernos pedites conscripsisse, imposuisse
urbibus præſidia, cæremonias Papisticis si-
miles induxisse, imperâſſe gravissima vexti-

galia atque portoria , promisisse Scotis 4. provincias Boreales , & Londini direptionem , si vel Parlamentum tollerent vel ejus authoritatem abjicerent ; sed cum libello non responderetur , irritati Fairfaxius & Cromvelius cum exercitu Londinum advo- lant , urbeque recepta ex Parlamento sibi suspectos ejiciunt , Regemque ex Insula ad judicium adducendum curant.

Ladislao Regi Poloniæ mense Junio morte repentina sublato succedit mense Novembri Polonorum voluntate ejus fra- ter Casimirus Cardinalis , quo ipso tempore in Russia Cosaci & Tartari omnia ferro & flammis exscindunt.

Interea , dum tota pene Europa tremit turbulenti motibus , maturuit tandem in septentrione post tot exantlatas difficulta- tes pax Germaniæ Monasterii Westphalo- rum ; ne quicquam obnitente Nuncio Apo- stolico Fabio Chisio , postea summo Ponti- fice Alexandro VII . 24 Octobris obsignata , & postridie ritu solenni publicata , probrosa illa quidem Imperio , & Ecclesiæ , necessaria tamen , ne majus utrique , tempore ipso , de- decus inureretur .

AN-